GEORGII ERNESTI STAHL, M. D.
PROF. PUBL. ORDIN. h. t. FACULT. DECANI,

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE

PATHOLOGIA SALSA.

* * * * * *

QVi Autoritates è Medicinâ exulare jubent, de Scientia utique Medicâ, ſive rationali explicatione Phænomenorum variorum, intelligendi ſunt; De Experientia enim, Autoritas utique ſeu fides Hiſtorica nemini frivolè deneganda, niſi ea proferat, quæ ex ſanâ ratione, & reliquâ multa experientia in contrarium, creditu difficillima videantur. At verò qui & Autoritatem in ſententiis agnoſcunt, in evidentiâ, & nervosâ earundem expresſione eandem quærant neceſſe eſt: Aut denique uti purum Teſtimonium de conſenſu aliorum, in medium adducere easdem tenentur.

Profert ſententiam hujusmodi Hippocrates lib. de Priſcâ Medicinâ, Eſt, inquit, in corpore Humano & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & inſipidum, ϗ ἄλλα μυρία, & alia ſexcenta (ſeu mille alia) Hæc talia, ſi præpotentia evadant, poſſe corpus variis modis lædere, jam ipſis Priſcis Medicis innotuiſſe, tradit. Ex his Viri peritisſimi verbis eliciunt Recentiorum aliqui, quod pleræque cauſæ morborum, imò vix non abſolutè omnes, ſint ejusmodi potentiæ Salinæ, uti vocant, ſive Salitæ, variis figuris inſtructæ particulæ, quæ fibras partium diverſis modis & numeris impellendo, provocent varios anomalos Motus, inducant conſequenter varias ſtricturas, è quibus obſtructiones, ſtaſes, & denique corruptiones, prognaſcantur.

Primus ferè, qui hanc opinionem exornavit, eſt facilè Tachenius; Secutus eundem, magno ferè cum applauſu Sylvius: Noti utriusq; intermedii & poſtremi Sectatores, qui ſcriptis & dictis prolixè ſcenam inſtruxerunt. Suboluit tamen mox, inter (non minus ſagaciores, quàm præcipuè) peritiores, B. Ettmullero, quod Hypotheſis magnâ generalitate laboret, quàm proinde ipſe Specificationis mentione ad minimum notare laboravit; Acidum Pleuriticum, Cephalalgicum, Nephriticum, Venereum, &c. Specificum quodlibet, introducens, iisque Specifica quoque Abſorbentia opponens.

Cum verò mihi perpetuò non levibus difficultatibus intricata viſa ſit hæc Theoria, & ego, tum ſtudii communis, & veritatis in lucem producendæ cauſa, tum etiam ratione officii, tradendæ Theoriæ Medicæ deſtinati, in id incumbam, ut indicatis difficilioribus &

maxi-

maximè dubiis opinionibus, planiores, & Experientiâ æq; ac ratione ſuffultas demonſtrationes, quærere & apprehendere ſuadeam; Propterea hâc quoque occaſione, quid in opinione: de potentiarum Salinarum efficaciâ ad morbos concitandos, maximè dubium agnoſcam, proponere non inutile duxi.

Antè omnia notari pervelim, quod omnes illæ Speculationes, quæ magis directè ad Craſin Humorum Corporis reſpiciunt, valdè difficiles conceptu exiſtant. Craſis Corporis Animalis, præcipuè verò Sanguinis, eſt omnium Mixtorum corruptibilisſima: ſiquidem ſanguis ipſe, ſi ſibi relinquatur, corruptioni putredinoſæ eſt ſubjectisſimus. Interim actu non corrumpitur, ſed conſervatur perpetuo circuitu, quo omnis generis recrementa, in Colatoriis & Emunctoriis copiosè ab ipſo ſeparantur. Recrementa hæc ingeruntur partim per os, ſub ipſis cibo atque potu, præcipuè hominum laſcivientium more, variis nidoribus, odoribus, ſaporibusque ſuffarctis: Cum enim quod purè & directè alimentoſum eſt, inſipidum eſſe posſit; Palati libido quærit ſapida: Ab his prognaſcuntur iſta recrementa. Partim verò exſurgunt quoque ab ipſius ſanguinis reſolutione intimiore: non quidem illâ corruptivâ putredinoſâ, ſed tantùm magis immediatè diſſolutivâ ſeu divulſivâ partium ejus conſtituentium diſturbatione. Sunt hæc recrementa Salina, & Sulphurea ſeu pinguia; imò verò compoſita ex utroque, Salino-Sulphurea.

Quicquid horum generum eſt, eliminatur facilè & ſine turbâ, ex ipſo ſanguine; Neque tam inſigniter mutat ſanguinem, mutatione præcipuè ſtabili, quæ non promptè ſatis corrigatur: Sed quicquid efficit, perpetrat maximè in partibus ſolidis. Et quidem non æquè in partibus mollioribus lentis, tenacibus, glutinoſis: ſed magis unicè in terreis, ſiccis, oſſeis: utpote quas erodendo afficit.

In ipſis enim illis mollibus partibus, poſſunt tantò minus efficaciam aliquam inſignem exſerere, quia moram neceſſariam ibi nectere non valent: ſiquidem continuô tranſitu humorum, perpetuò provehuntur, ut tempus, ad efficaciam earum neceſſarium, ipſis non ſuppetat.

Jam, ſi aliqua ſpecialis noxa è talibus ſalſis rebus naſci deberet, opus ſanè eſſet, ut vel inquilinæ domeſticæ, & quotidianæ illæ ſalſedines hoc facerent; aut novæ, adventitiæ. Si priores illæ, cum

 læ, cum

læ,cum homines omnes iiſdem utiq; ſcateant, quotidianæ ſingulis Hominibus imminerent valetudinis ſuæ concuſſiones,& morbi actuales: Tantò magis verò ſanè illis, qui res tales pravá diæta quotidiè, imò indies magis,augent, potatoribus, ſalitorum,aromaticorum,dulcium,ciborum comeſſatoribus, ſpirituoſorum potuum, tabaci,&c. abuſu gaudentibus. Sed nihil horum fit.

Si poſteriores,túnc utique graves noxæ, & admodùm præſentes atque ſenſibiles, inſtarent, à ſalſedinibus iſtis enormibus, corroſivis, Spiritu Vitrioli, Spiritu Nitri,Salis,Salis Armeniaci,Sale alcali fixo. Sed nihil horum, licet ſatis larga quantitate ingeſtum, edit effatu dignas alterationes,nedum noxas in corpore. Si nempè non ita confertim aſſumantur, ut immediatè in ventriculo,antequam in Humores diſtribuantur, citò aliquem noxium corroſivum effectum edant, ſed in Maſſam Humorum expandi & diſtrahi valeant.

Jam verò, ſi tales ſummè ſapidæ res, & quarum ſimile quidquam in corpore aliunde ſubnaſci vix poſſibile ſit,tamen nullam inſignem noxam inferant; Quid noxæ inducent aliæ leviores ſalſedines? Idem valet de Amaritie. Cum enim amariſſima,aloe,Centaurium,fumaria,Gentiana,Ariſtolochia,abſinthium,præcipuè ſi diu fortiter coquentur, amaritiem quidem maximam retineant, interim nullum eximium, nedum noxium uſum, in corpore exſerant: Quid de aliis fere mitioribus amaris,nempe qua amaris, metuendum ſit,in propatulo eſt.

Idem judicium eſt de dulcibus. Circa quæ ridicula profectò eſt Theoreticorum noſtræ ætatis ſuperſtitio. Ut enim meritò ridentur à Practicis, qui in Experientia deprehendunt,dulcia & infantibus, & puerperis, & febricitantibus, & Colicis, ſine omni noxâ dari,niſi plane individualis adſit horror: Ita ſana penſitatio tanto magis contrariatur. Si enim res exquiſite peſſime cedat,quid fiet ex uncia Syrupi? ſane nihil gravius, quam uncia Aceti. Quæ verò nocumenta dabit uncia aceti, cum in peſte, morborum omnium graviſſimo, jubeant ægros Acetum pro vehiculo ſumere; Et quotidie etiam in potiunculis in febribus acutis,præſcribant ſcrupulum unum,drachmam ſemis,unam,imò verò cur non duas? Spiritus Vitrioli,Clyſſi Antim. Sulphurati, &c. in quibus ſane longe plus eſt acoris,& quidem fortiſſimi,quam in uncia aceti. Imò, ut

tota

tota querela quieſcat, unciam aceti etiam fortisſimi, facillime ad inſipidatem reducit ſcrupulus unus, vel minus, cujuscunq; abſorbentis.

At verò nihil incommodiùs facile allegari poſſe cenſeo, quam efficaciam ſalium volatilium, pro ſanguine fluido reddendo. Qui enim ſale illo ſanguinem fluidum reddere didicerunt, quantum quæſo ejus requirerent pro totâ Maſſâ ita attenuanda. Non profectò parum: neque hic granis, ſed ſcrupulis, imò drachmis, agendum eſſet. Sed ſufficiunt communiter pauca grana, imò guttæ, & hæ paucisſima grana continentes. Unde ſanè non alteratione immediatâ Sanguinis agere eadem, manifeſtò liquet. Tantò magis, cum Experientia monſtret, ſalia hæc ſiſtere fluxiones ſanguinis. Nempè plus agendo, nervino effectu, in vias, quam immediatè alteratiuo, in ipſos Humores.

Alia longè, & diſparis ſanè energiæ efficacia eſt in Adſtringentibus. Quæ nimirum magis directè motûs prouocant. Quis verò tam abſurdus ſit, ut ſupponat, Adſtringentia agere actu purè & immediatè mechanico: i. e. ipſa habere particulas ita configuratas, quæ minimas particulas fibrarum, immediatè actiuè pellant, trudant, pulſent, in arctius ſpatium protrudant: & quod hunc niſum, fibras ita trudendi, habeant concreatum. Credo ſanè & ſpero, potius quemlibet ita interpretaturum eſſe, Cum Motus tenſorius in fibris, ſit aliquid perpetuum, à certo immanente, vitali, principio, pendens, enim hanc Motus hujus intenſionem, non niſi ab eodem illo principio perpetrari, licet materia illa adſtringens, ſeſe habeat ut cauſa quaſi occaſionalis, ſuo appulsû majorem intenſionem ordinarii illius Motorii actus prouocans.

Hoc modo inducunt adſtringentia utique varios ſenſibiles effectus in Corpore, non quidem ſtatim immediatè ſed magis ſolum mediatè. Quid verò hic quoque inſigne aut tantis commentariis dignum? Nihil profectò certum, perpetuum, & neceſſarium: ſed quicquid eximium inde interdum ſubnaſci obſeruatur, magis accidentaliter, & individualiter contingit.

Fatale verò uniuerſo negotio, eſt utiquè hoc, quod ſalſedines iſtæ, tum omnibus Hominibus, quaſi indifferenter & æqualiter communes ſint: Tum ad minimum uni eidemquè Homini perpetuò familiares eſſe deberent. Antè omnia verò quolibet tempore, ſiue ætate ipſi obtingere & poſſint, & ſubinde, ex hypotheſi, ſoleant. Et tamen effectus, planè diuerſi, nempè affectus ſtati & certi, certis maximè ætatibus, oriri & euenire obſeruentur: tales nempè ipſi, quos communiter à ſalſedine illâ arceſſunt.

Do

Do exemplum. In nulla ferè paſſione promptiùs accuſatur ſalſedo, quàm in doloribus. Præcipuum horum ſpecimen ſunt Arthritis & Podagra. Dicunt Salia acria abundare hìc in M.S., decumbere ad articulos, rodere ibi membranaceas ſenſiles partes. Sed (1) Arthritis & Podagra vix è decem Hominibus unum prehendit: Cum tamen è decem vix unus ſalſedinibus inſignibus vacuus ſit. (2) Non invadit niſi certas demum Ætates.: Quid ita, expectatne corpus certas ætates, neque aliàs capax eſt ſalſedinum? (3) Nego: Nam quot ſunt ſcabioſi, quorum tota Maſſa Humorum manifeſtisſimè ſalſa eſt; illi non dolent Arthritide neq; Podagra; Et quidem non ſolùm ſcabie rectè exeunte, ſed ne quidem retropulsâ: Quid ita juxtà Hypotheſin. Deinde (4) coincidunt verò hi morbi cum certis Hæmorrhagiis; quid verò ſalſedines ad Hæmorrhagias. Utpote quæ pariter non modò ſæpisſimè certis temporibus, ut præcipuè in fœminis & viris Hæmorrhoidariis multis, emergunt; Sed etiam in diverſis ætatibus, locis pariter diverſis. Quis verò ſalſedinem unam eandemq;, generalem nempè illam Hæmorrhagicam ex Hypotheſi, manuducit variante ætate, ſpecialiter ad diverſa loca?

Quæ certè omnia, cum plurimis difficultatibus obnoxia ſint, quis facilè pro fundamento admittat, cui ſcientiam & Artem, non ſanè frivolam, ſed quæ de vitâ & ſanitate Hominis tractet, temerè ſuperſtruere audeat? Laborat enim I. nimia generalitate Subjecti, ut cum omnibus Hominibus, & quovis tempore, familiaris ſit, quilibet homines, & quovis tempore inde ægrotare deberent: quod non fit. II. Nimia generalitate temporis, cum inde omnes ætates, indifferenter & uniformiter affici deberent; quod non fit: III. Nimia generalitate Loci affecti: Cum inde indifferenter hinc inde in Corpore oriri deberent Læſiones: quod non fit: ſed ſtata planè Loca, convenientibus ætatibus, afficiuntur. IV. Laborat præjudicio Experientiæ, quia innumeræ artificiales, & quidem vehementisſimæ Salinæ ſubſtantiæ, nihil planè effatu dignum, nedum ſimile, in Corpore concitant: Quarum tamen energiæ, ſuppoſititiæ illæ ſalſedines internæ nullâ probabili ratione accedere poſſunt, nedum ut iſtam excedere valerent.

Illud verò non denegamus acrimoniæ alicunde in corpus illatæ, quod ut occaſionalis cauſa, Motus ex alio principio promptos, inſtigare & provocare posſit: Non efficienter Phyſicè, ut immediatè fibras ad illum qui conſequitur motum impellant ſeu trudant: Sed moraliter, per ſenſum partibus tenerioribus inflictum, ut adeò propter ſenſum ſuſcipiatur deinde ille, etiam anomalus, turbulentus, nempè proportionem maximè excedens, Motus. Unde utiq; eſt, quod in affectibus doloroſis, ubi jam inſignis exacerbatio ſenſus præſto eſt, etiam ſatis modicum vini, perfrequenter notabilisſimè eundem augeat: Cum tamen tot Homines quaſi amphoratim illud ingerant, ſine doloris conſequentia.

His itaque ex cauſis, longè præferimus huic de Saporibus opinioni, utpote quæ nimia ſua generalitate, ad illud quod principale eſt in morbis, nempè ſpecialitatem temporis, Subjecti, & loci, nihil undique quadrat: Præferimus inquam luculentisſimam illam, & abſolutè ex Experientiâ natam Pathologiam, quod plerique & præcipui morbi, (præter, qui manifeſtas externas cauſas ſequuntur) his cauſarum ſucceſſibus nitantur, ut [1] prima & remota cauſa, ſit Plethora. Hæc ſi frequentiùs commoveatur, turgeſiat, aut nimiâ ſegnitie ſpiſſeſcat, ne ul-

ne ulteriores turbas det, neceſſe habet vel imminutione ſincerè emiſſoria, unde Hæmorrhagiæ; aut imminutione per reſolutionem conſumtoriâ, unde Febres. Hæmorrhagiæ minus expeditè ſuccedentes, fiunt [2] Cauſa mediata propinquior aliorum affectuum Staticorum: Congeſtionum, inflammationum, apoſtematum, aliorum tumorum. [3] Motus verò qui ad iſtas Hæmorrhagicas compresſiones & expresſiones ſpectat, ſi exitum nuſpiam inveniat, fit cauſa proxima Spaſticorum preſſoriorum Motuum; Ex his cauſalitatibus naſcuntur 1. Hæmorrhagiæ, Staſes, Inflammationes: 2. Febres. 3. Spaſmodici affectus, translationes Humorum, ſenſationes variæ triſtes. Hæmorrhagiæ verò variant Loco, juxtà diverſas ætates. Inde eſt, quod etiam Staſes, & Spaſmi, pari & jugi ratione deinde occupent illa loca, quandoquidem non ſunt niſi conſectaria Hæmorrhagiæ, uti hæc plethoræ in proximâ potentia nocendi conſtitutæ, nempè inteſtinè commotæ. Ex hoc ſanè fundamento, deduxi hactenus variis Diſſertationibus, evidenter, uti ſpero, rationes & connexiones Hæmorrhagiarum ſecundum ætates variantium, Motuum Spaſmodicorum ad Hæmorrhagias pertinentium, & denique Affectuum præcipuorum, qui ex impeditioribus his utrisque prognaſcuntur. Præſtiti hoc Diſſertationibus, de *Motu Tonico Vitali*, de *Mechaniſmo Motus progresſivi Sanguinis*, de *Fluxu & Refluxu Sanguinis*, ſeu *Æſtu Maris Microcoſmici*, de *Avtocratia Naturæ*, de *Motibus Humorum Spaſmodicis*: de *Fundamentis Morborum Ætatum*, de *Infrequentia Morborum*, de *Temperamentis*, de *Hæmorrhoidali Motu Sanguinis*, de *Hæmorrhoidibus internis*, de *Podagræ nova Pathologia*. Quarum omnium momenta ſi conjungantur, mihi certè videtur, poſſe inde difficillimas illas determinationes ſpecierum morborum; Cur talibus ætatibus, talibus locis, talibus temperamentis eveniant, facilè reſolvi, quæ ſanè ex aliâ nullâ hactenus Theoriâ, juſto ordine & continuatione, erui potuerunt, omnium verò minimè è ſalinarum potentiarum efficaciâ.

Libuit hæc præmittere, Commendationi quam ſibi depoſcit Vir Juvenis Doctisſimus

DN. JOHANNES SEBALDUS HOLL, Hartmansdorffio Miſnicus, Medicinæ Candidatus dignisſimus.

Natus Anno MDCLXX. Patrem habet Dn. Andream Holl, illo quidem tempore Serenisſimi & Celſisſimi Principis Slesvico-Holſatici Supremum Foreſti Præfectum, nunc Reverendisſimi & Sereniſſ. Principis Ducis Saxoniæ Cizenſis rei Venatoriæ Magiſtrum: Qui etiam quinque Saxoniæ Electoribus, officia hujus generis Venatoria præſtitit: Mater MARIA LEUBNERIN, Fœmina honeſtisſima: Memoriâ verò non indignum putat quod Majores ſui paterni, per ducentorum annorum tempus, continuâ ſerie, Serenisſimis Electoribus Saxoniæ ab officiis Venatoriarum & Foreſtalium rerum, fuerint. A Parentibus dictis ſuis optimis, ad pietatem quidem atque probitatem, ab infantia ipſa educatus, progrediente ſuâ ætate, ad ſtudia literaria deſtinatus eſt, eoque nomine Numburgum transmiſſus, & Gymnaſio ejus loci celebri commiſſus, ubi etiam ſub inſtitutione fidelisſimâ Collegarum illius Lycæi Clarisſimorum, Dn. Behr, Cantoris, Dn. M. Heinſii, Con: & Dn. M. Töpfferi, Rectoris; Uſus quoq; pri-

vatiore

vatiore Informatione poſthàc eſt Dn. M. Gothofredi Thym , Diaconi Cygn. meritisſimi : Anno M D C X C I. ad altiora ſtudia optimè inſtructus, adiit Lipſiam: Ubi Philoſophiæ quidem varias partes hauſit ex inſtitutione Dn. M. Redelii, jam nunc Superintend. Pegavienſis gravisſimi: Inde ad Medicam artem adjiciens animum, Curſum univerſæ Medicinæ executus eſt, dirigente Excell. & Experientiſſ. Dno. Chriſtiano Iohanne Langio, Med. D. & Pract. famigeratiſſ. Facult. Med. Aſſeſſ. grauisſimo, cujus fidelisſimam informationem, & aliam multiplicem Beneuolentiam, gratisſimo animo celebrat. Hauſit quoque Chirurgiæ ſolidiora Præcepta ab Excell. D. D. Bohnio, Prof. Publ. celeberrimo: Interfuit tribus Sectionibus Anatomicis, ab Exc. D. D. Petermanno, P. P. famig. adminiſtratis: Spectavit varias Sectiones in Collegio Anatomico à D. D. VVelſchio habito: Frequentavit verò asſiduè omnium Exc. Dnn. Profeſſorum publicas Lectiones. Anno M DC XCIII. functus eſt officio Medici Militaris Prætorii ap. Sereniſſ. atque Celſisſimum Principem ac Dominum, Dn. VVilhelmum Chriſtianum, Ducem Slesvici Holſatiæ, caſtra circà Rheni & Mœni finitima habentem. Redux inde, continuavit ſtudiorum ſuorum filum, & præcipuè ex ipſis Clinicis circumſtantiis, multum lucis ad exactiorem Theoriam deſumſit & applicuit. Pertractatis ita Medicæ Doctrinæ univerſis partibus, ad Jura atque Privilegia Arti ſolennia reſpexit. Acceſsit hujus gratiâ noſtram maximè Academiam, cum Actum Promotionis ſolennis proximè ſuſceptum iri inaudiiſſet, & Facultati noſtræ nomen ſuum & deſiderium profeſſus eſt. Cum privatis Diſcurſibus profectus ejus optimos agnoſceremus, tanto facilius ad Examina pandimus viam. Exhibuit ſeſe ita eruditum atque doctum, ut dignum hâc LICENTIA decet, quapropter decreta ipſi eſt ejus collatio. Habebit tamen prius Diſputationem Inauguralem de BONÆ NUTRICIS REQVISITIS, ipſo XI. Junii die. Ad quem Actum Solennem, Magnificum Dominum Pro-Rectorem, Excellentisſimos Academiæ Proceres, Illuſtrisſimos, Illuſtres, Generoſos, Clarisſimos Hoſpites, Fautores, Cultores, officioſisſimè & humanisſimè invito. P. P. Halis Magdeburgicis IX. Jun.

M DC XCIIX.